

- 2 Et si n. 61. dicit, quod ille dicitur torqueri, qui est in loco, ubi timet torqueri, probat idem Hippol. in pract. crim. s. expedita, n. 1. & seqq. ubi nu. 10. & in d. l. in criminib. n. 8. probat, quod carcer dicitur species torturae, & n. 13. d. s. expedita.
- 3 Quod sufficit probare, quem fuisse detentum, ut eius confessio dicatur facta metu tormentorum, eandem opinionem per illum text. sequitur & plures allegans probat D. Anton. de Padilla in l. cum proponas, nu. 8. C. de transact.
- 4 Sed sic est, quod testis, qui vnum dixit in iudicio, & postea contrarium in alio dicto in tormento, non punitur de falso, ut tradit Tindarus in tractat. de testib. lib. 1. cap. 3. per totum, volumine 5. folio 224. Ergo eodem modo non debet puniri, quando contrarium dixit metu tormentorum.
- 5 Secundo, quia si testis potest corrigere dictum suum in continenti, & praeterea, de testi. cogend. l. 30. ut. 16. parit. 3. In continenti dicitur, antequam testis alloquatur partem, ut existimat Innocentius in dict. cap. praeterea, post glossam, ibi, & testatur communiter seruari Felinus ibi nu. 11. D. Couarr. lib. 2. variar. resol. c. 13. nu. 8. versicul. ceterum si testis iuratus, ibi, idem erit, & c. Gregorius Lopez, hoc deducens ex d. l. 30. in glossa. Fablassé con alguna de las partes, sequitur alios allegans Laurentius Syluanus consil. 87. nu. 1. & Jacobus Menoch. de arbit. iudic. casu 108. nu. 5.
- 6 Imo dicitur si in continenti, si corrigat, antequam publicatae sint attestations, dummodo probetur, eum non fuisse colloquutum cum partib. & sic tollatur ista praesumptio subornationis, secund. Alciat. praesumptio. 29. regulae secunde, nu. 2. eandem opinionem late probat Syluan. ubi supra, nu. 2. & seqq. & Alciat. ubi supra, n. 3. hoc intelligit procedere, quando testis allegaret aliquam causam coloratam erroris seu correctionis: eandem opinionem testatur communem Dominus Anton. de Padilla in l. error, nu. 8. C. de iur. & fact. ignor. ubi refert alias duas opiniones. Secundam, nempe, antequam testis discedat a conspectu examinatoris, & quam etiam refert Syluan. ubi supra, nu. 7. & 8. & Menoch. ubi supra. Tertiam, quod si sit arbitratum ex qualitate personarum. Addit Alciat. ubi supra, n. 6. quod quando testis corrigeret dictum suum metu tormentorum ante publicationem, statuti tali correctioni, in quo omnes supradicti sentiunt, non esse puniendum. Sed cum hic metus intercesserit in hoc teste & correxerit dictum suum ante publicationem, & sit probatum, eum partes non fuisse alloquutum, consequens est, ut non puniatur, quamuis ratificauerit postea dictum suum, quandoquidem causam coloratam allegat suae correctionis, secund. Tindarum, ubi supra.

SVMARIA.

- 1 Donatio ad hoc, ut valeat reuocari, non possit, debet acceptari.
- 2 Acceptatio & ratificatio donatarij debet intervenire, quando ad veram perfectionem contractus debet necessario intervenire consensus vtriusq. contrahentis, cessi non eodem tempore & instanti, saltem in diuerso.
- 3 Superiora procedunt etiam in conscientia, nam ad hoc, ut promissio obliget, necessaria est acceptatio eius, cui sit promissio.
- 4 Acceptatio donationis requiritur etiam hodie, attenda l. Regia 2. tit. 16. lib. 5. Nova Collect. Regia.
- 5 Acceptatio requiritur donationis, etiam causa pie facta.
- 6 Acceptatio donationis requiritur, etiam si clausula constituta vel reservationis usufructus in donatione ad sit: ha enim clausula nihil operantur, nisi acceptata fuerint.

- 7 Acceptatio donationis, etiam iurata, requiritur.
- 8 Nemo alteri obligatur ex iuramento vel pacto, nisi consentiat ille, in cuius fauorem iuramentum praestatur vel pactum fit.
- 9 Quando aliquis iurat principaliter in fauorem absentis, primaria obligatio dirigitur in Deum; si tamen pars non curat de implemento, nec etiam Deus, & hoc respectu requiritur consensus absentis.
- 10 Nemo per iuramentum vel pactum proprium obligatur, nisi concedat ille, cui sit pactum vel iuramentum.
- 11 Acceptatio a fortiori requiritur donationis, in qua continentur vincula maioratus & apponuntur grauamina, quae debent adimpleri, quia tunc est contractus vltro citroq. obligatorius, ubi requiritur consensus partis vtriusq.
- 12 Reuocari potest donatio iurata non acceptata absque incurfu perurij.
- 13 Alteri per alterum potest stipulari interueniente iuramento.
- 14 Acceptatio absentis requiritur, etiam si statuto canuatur, quod alteri per alterum acquiratur obligatio.

CONSILIVM XII.

Viam veritatis nobis aperiat ipse, qui dixit; Ego sum via & veritas. Mater quaedam inter viuos irreuocabiliter filium suum masculum tituli donationis meliorauit in tertio & quarto bonorum suorum, adiectis quibusdam conditionibus, vinculis ac grauaminibus alijsq. clausulis pro validatione & robore ipsius donationis opportunis & conuenientibus, & praeterea cum iuramento solemniter de non reuocando eam, & c. Hic autem filius praesens minime fuit tempore donationis, nec postea eam acceptauit. Mater autem praefata hoc sciens, in suo testamento, sub quo decessit, praed. meliorationem reuocauit, & alia ex 4. parte bonorum suorum fecit in fauorem alterius filiae suae, quae domi secum habebat. Consultas fui; An mater iure potuerit praed. primam meliorationem reuocare, quae illarum meliorationum sit valida & seruanda? Et omisso multiloquio inherendo veritati, quam semper amamus, respondi, mater me, de qua quaeritur, recte ac iure optimo potuisse priorem meliorationem a se factam, etiam cum iuramento, reuocare, eo, quod ab eo, cui fuit facta, non fuisset acceptata, ac proinde eadem reuocationem validam fore, & per consequens, secundam meliorationem filiae factam seruandam esse, non vero priorem non acceptatam & ideo reuocatam, sequentibus fundamentis.

Primo, quia si clari iuris est, esse necessariam acceptationem donationis ad hoc, ut ipsa valeat & reuocari non possit, argum. l. si ego, ff. de neg. gest. & l. communis seruus, §. fin. in fin. de acquir. poss. & in donatione absentis facta probat l. absentis, ff. de donat. l. 4. tit. 4. p. 5. vers. la tercera, & in vers. la quarta, & in terminis hoc tenet Paul. de Castro consil. 171. incipi. in casu sequenti, visis omnibus, per totum consilium lib. 2. ubi loquitur in donatione facta per patrem filiae absentis, & dicit, quod illi non fuit ius quaesitum ante ratificationem, quia, licet legatum acquiratur, etiam ignorantem, reuocabiliter tamen, non sic est in donatione, quae etiam reuocabiliter non acquiratur, nisi scienti & consentienti, quia pendet ex voluntate duorum: idem Paul. Castr. consil. 195. visis, quae narrantur in 2. dubio, vol. 2. sequitur Dec. consil. 126. col. 3. nu. 12. & consil. 464. col. 1. nu. 3. & consil. 331. in fin. & consil. 661. n. 11. Curt. Iun. consil. 52. n. 13. & consil. 55. nu. 9. & consil. 120. nu. 3. & 4. Bertrand. consil. 173. col. 5. vol. 1. Paul. Castr. consil. 77. col. 3. vol. 1. dicens, quod ratione aperiissima & concludenti debet interuenire ratificatio & acceptatio ipsius donatarij, quando ad veram & perfectionem contractus debet

debet necessario interuenire consensus vtriusq. contrahentis, et si non eodem tempore & instanti, saltem diuerso, ut per omnes in l. ff. de pact. & in l. i. in prin. ff. de verb. oblig. idem Parif. consil. 78. col. pen. eod. vol. & sequuntur alij relati per Rol. a Valle consil. 19. nu. 6. 10. & 11. lib. 1. & quod donatio non acceptata non valeat, etiam si donatarius sit praesens & taceat, tenet alios allegans Tibertius Decian. consil. 39. nu. 30. volum. 2. itaq. hoc est commune & vera resolutio doctorum, ut iuxta ius commune donatio facta absentis non acceptata non obliget, ita, ut ex ea nullum ius absentis ante acceptationem acquiratur: atq. ideo possit reuocari, praemaxime, si neque per notarium nomine absentis sit acceptata, & de hoc nemo dubitat, imo procedit hoc etiam in conscientia. Nam ad hoc, ut in foro interiori obliget promissio, necessaria est acceptatio eius, cui sit praedicta donatio, ut probat Frater Angles in suis floribus Theologicis quaestio in q. de voto art. 2. in 3. difficultate, vers. ut talis, pag. 92. ubi, quod quando sit praesens, si taceat, non videtur illi placere, donec acceptet, & iterum in 4. difficultate, in vers. sic. hinc promissio, pag. 94.

Secundo, quoniam, et si nonnulli velint hodie, attenda leg. 2. tit. 16. lib. 5. noua collect. Reg. incipit, pareciendo que uno se quis obligar a otro, & c. non requiri hanc acceptationem, veritas tamen & magis commune resolutio doctorum est in contrarium, nec non & praxis, imo quod illi illa non obstante, requiratur hodie acceptatio donationis ad hoc, ut reuocari non possit, quod si non acceptetur, poterit reuocari. Lex namq. illa non tollit acceptationem, quae iure communi requiritur: sed tantum solemnitatem stipulationis & alia solemnia iure Ciuili requisita ad validitatem contractus, non tamen id, quod eodem iure requirebatur pro substantia obligationis, ut ex verbis eiusdem l. Regia constat, ibi, non pueda poner excepcion que no fue fecha stipulacion, que quiere decir promettimiento, con cierta solemnidad de derecho: o que fue fecha el contrato, o obligacion entre absentes, in principio eiusd. l. ibi, pareciendo que uno se quis obligar. In hoc enim casu non concurrit: Intentio namque matris in prima donatione non fuit velle donare neq. filio obligari, priusquam ipse sciens donationem eiusq. conditiones & grauamina eam acceptasset, ut in l. qui ab soluit, ff. de acquir. poss. ubi dicitur, Qui absentis seruo scribit, ut in libertate maneat, non eam mentem habet, ut statim, velut serui possessionem dimittere, sed magis destinationem suam in id tempus conferre, quo seruus certior factus fuerit, & ubi Alex. & communiter Doct. notant, posse donationem ante acceptationem reuocari.

Sic etiam videmus, quod et si iure Canonico ex pacto nudo oriatur actio, adhuc tamen requiritur acceptatio ipsius, ut tenet communiter Doct. in c. 1. de pact. per text. in c. 1. de concess. preb. in 6. eadem ratione, quauis de iure Ciuili donatio fieri possit pacto nudo, ut in l. si quis argentum, §. fin. C. de donat. adhuc requiritur acceptatio, ut praedictum a iure probatum existat. Et ita in nostris terminis, quod etiam hodie attenda d. l. Regia requiratur acceptatio donationis, & quod aliter ipsa reuocari possit, tenet expresse Greg. Lop. in d. l. 4. tit. 4. p. 5. in 7. no lo puede hazer. & D. Couarr. lib. 1. var. resol. c. 14. n. 12. & 13. & Auend. 2. par. cc. pratorum, c. 29. n. 11. Ioan. Baptista Villalob. in sua antinomia juris, nu. 26. Molina de Hispan. primog. lib. 4. c. 2. n. 60. Olauus in sua concor. antinom. l. 1. c. 1. D. n. 43. & seq. D. Burg. de Paz. alios allegans, consil. 14. n. 20. & consil. 33. n. 12. & latissime Burg. de Paz. Iun. l. 1. q. 10. n. 23. cum seq. & aduocatus Granat. Pelaez de maiorat. l. p. q. 36. n. 2. fol. 42. & q. 68. n. 1. fol. 231. vtrobiq. affirmans hanc opinionem in iudicijs praticari, & Monterros. in sua pract. in tractat. fol. 115.

Tertio, & praecipue, quoniam, etiam si donatio facta sit causae pie, adhuc requiritur & est necessaria ac-

ceptatio, quod si ipsa non fiat, poterit donatio reuocari iuxta gloss. communiter approbatam in l. illud, ver. b. alia causa, in fi. C. de sacros. Eccles. est communis, ut testatur additio Bar. lue. C. in l. pen. ff. de iur. iur. & D. Cou. in Rub. de testam. in 3. par. n. 13. & plures referens D. Molin. ubi supra, n. 58.

Quarto, quia omnia supradicta procedunt, etiam si donatio habeat clausulam constituti vel reservationis usufructus: nihil enim haec clausulae operantur, nisi per eum fuerint acceptatae, in cuius fauorem appositae fuerint, ut in l. quod meo, §. si furiosus, ff. de acquir. en. poss. l. si seruus communis §. 1. & quemadmodum ff. eodem in d. l. si ego, ff. de neg. gest. Alex. in d. l. quod meo in princip. nu. 18. Paul. Castr. dict. consil. 171. nu. 2. Dec. consil. 226. nu. 9. & in l. contr. actus, n. 15. ff. de reg. iur. Curt. Iun. d. consil. 120. nu. 3. Anton. Gom. plures allegans in l. 45. Taur. nu. 82. & 83. & Tellus Fernand. in l. 17. Taur. nu. 30. D. Molin. ubi supra, n. 63.

Quinto, & vltimo, quoniam, et si dicta prima donatio, de qua agimus sit iurata cum clausula de non reuocando eam, adhuc requiritur acceptatio: iuramentum enim sequitur naturam contractus, super quo interponitur, ut in l. fin. C. de non num. pecun. & in l. ff. qui satisf. dare cog. cum similibus, l. 27. tit. 1. part. 3. in versicul. vtro si dezimos: Sicut ergo donatio absque iuramento facta intelligebatur, si eam acceptauerit ille, in cuius fauorem fit, ut supra probauimus, ita etiam & iuramentum donationi interpositum eodem modo est intelligendum, ac proinde, priusquam acceptetur, poterit reuocari. Quia, inquit, Abb. per text. ibi, in c. sicut, ibi, el. 3. n. 5. post Ant. de Butr. ibi, de iure iur. nemo per iuramentum vel pactum obligatur, nisi consentiat illi, in cuius fauorem praestatur & sit iuramentum vel pactum: ubi etiam, quod quando al quis iurat principaliter in fauorem absentis, primaria obligatio dirigitur in Deum, tamen si pars non curat de implemento, nec etiam Deus, & quod hoc respectu requiritur consensus absentis, & inquit singulariter Archid. in c. quatuor, arte verborum, 22. q. 5. in fin. 4. quod nemo per iuramentum vel pactum proprium obligatur, nisi concedat ille, cui sit pactum vel iuramentum: idem videtur tenere Bald. in auth. generaliter, col. fin. vers. quaeritur vtrum ex scriptura, n. 12. C. de Episcop. & clericis, & probatur ex his, quae tradit Fortun. Garlin. c. 1. n. 23. de pact. & in terminis, quod donatio iurata non valeat neq. ex ea acquiratur actio absentis ante acceptationem, non obstante d. iuramento, tenet & probat dicens, esse veriore Alciat. in c. cum contingat, n. 12. de iure iur. & quod possit reuocari ante acceptationem tenet Decius consil. 432. n. 25. & 26. & late Molin. ubi supra, n. 64. & 66. & post eum Burg. de Paz Senior d. consil. 14. n. 21. & Iunior, d. q. 10. nu. 46.

Quod praemaxime procedit in donationibus vinculi & maioratus (prout fuit illa, de qua nunc agimus) in quibus onera & grauamina adimplenda ponuntur, sicq. ea est contractus respectiuus vltro citroque obligatorius, in quo consensus vtriusq. partis requiritur, & antequam ipse intercedat, non dicitur aliquid esse perfectum, ut in l. contractus, C. de fide instrum. & ibi communiter Doct. probat late Molina, plures allegans ubi supra, n. 66. ad fin. ut est praedictum.

Ex quibus omnibus inferitur ac iam clare constat, quod cum praed. donatio, licet iurata, non fuisset acceptata per filium, cui facta fuit, potuisse a matre reuocari, aliaq. donatio siue melioratio ab eadem fieri, prout fuit facta in fauorem filiae sine incurfu alicuius perurij; Quandoquidem prior donatio neq. iuramentum in ea interpositum non habuerunt vim neq. aliquam obligationem induxerunt ex defectu acceptationis, sicque iure optimo potuerunt reuocari, ut in terminis d. l. fin. C. de non num. pecun. probantur ibi Bal. n. 1. Saly. & Fortun.

Garf. in l. si vnus, §. pactus ne peeres, nu. 15. ff. de pact. dicens, exceptionem non numerata pecunia opponi posse contractui, etiam iurato, quia exceptio illa propria est ipsius iuramenti, non tantum contractus, quem refert & sequitur D. Couarr. in 4. 2. part. c. 3. §. 5. num. 3. idem probat Dec. cons. 305. n. 4. vbi, quod qui iuratur feruere, non est periurus, si non feruiat ex aliqua iusta causa, quae venit ex natura contractus, vt in donat. causa mortis iurata, quia potest poenitere donans absq; periurio.

21 Deducitur etiam ex superioribus, quod si Gregorius Lopez & Couarruias, & alii nonnulli aliud velint in terminis donationis iuratae, id non potest iure procedere, quandoquidem iuramentum sortitum fuit naturam contractus primordiale donationis, nempe si acceptetur: hoc autem deficientead amplius iuramentum non obligabit quam contractus, sicque potuit reuocari, quia vt inquit textus in l. vt certum, §. vltimo, de confessioni. iurans in fauorem absentis non obligatur.

22 Supradictis et resolutis non obstat gloss. in c. quorundam coram oculis, in verb. et per 16. question. 7. vbi tenet, quod interueniente iuramento potest alteri per alterum stipulari, quam sequuntur communiter Doctores. in l. stipulatio ista §. alteri, ff. de verbor. obligat. Refert plures Roland. a Valle consilio 19. numer. 29. & sequentibus, & sic quod iuramentum suppleat praesentiam partis, & quod Deus videatur recipere promissionem pro absente, vt tradit Felinus in proam. Gregor. numer. 24. Nam respondeo, quod vt praediximus, sicut donatio habet in se tacitam conditionem, si pars acceptauerit; ita etiam iuramentum habere intelligitur eandem conditionem, vt in dict. l. fin. c. de non numerat. pecun. nec reperitur quod recipiatur a Deo, nisi quatenus a parte fuisset acceptatum, ita respondet Alciat. vbi supra, dicto numer. 112. in fin. vel secundum Molin. vbi supra numer. 65. quod nihilominus ad hoc, vt reuocari non possit, desideratur acceptatio partis, quia alias potest reuocari duplici ratione. Prima, quia licet statuto caueatur, vt alteri per alterum acquiratur obligatio, illud tamen intelligitur ac procedit, interueniente absentis acceptatione, vt tenuit Paulus Cast. d. consil. 171. per 10. tum. Alex. consil. 126. n. 5. lib. 5. Curt. l. un. d. consil. 20. num. 2. & Decius vbi supra. Secunda, quia ita etiam iure communi fauore pia causa alteri per alterum stipulari potest, vt ex pluribus probat las. in dict. §. alteri, nu. 6. & tamen in donatione facta Ecclesiae & pia causa, acceptatio necessaria est iuxta communem opinionem supra relata: Ergo quamuis donatio iurata valeret in fauorem absentis propter iuramentum, adhuc esset necessaria acceptatio ipsius, alias enim posset reuocari per omnia supradicta, & ita de iure respondendum cenfeo, saluo meliori iudicio: Haec causa postea decisa fuit in fauorem dictae filiae contra priorem donationem factam iuxta hoc consilium. Laus Deo omnipotenti.

SVMMA RIA.

- 1 Resignatio beneficii Ecclesiastici quando est facta in manibus non valentis ea admittere, ius remanet penes resignantem donec resignatio recipiatur vel admittatur per Papam vel beneficio priuatur.
- 2 Resignare non potest quis beneficium Ecclesiasticum, quod habet, quando non remanet sibi aliud beneficium, e cuius redditibus iam vivere valeat, hoc tamen intelligitur n. 10. de sacro ordine mancipato.
- 3 Renuntiatio minorum beneficiorum, puta, praebendarum & aliorum beneficiorum simplicium, fieri potest coram ordinario loci, hoc est, Episcopo: Imo renuntiatio Ecclesiastici beneficii fieri nequit sine auctoritate Episcopi.
- 4 Renuntiatio beneficii facta absq; Episcopali licentia, beneficium non vacat, etiam quoad renuntiantem, donec per Superiorem aut Episcopum ipsum admittatur.

- 5 Motus proprius Pij V. Pontificis Maximi super non admittend. resignatio, per ordinarios, incipit, quanta Ecclesiae, &c. ann. 1568. latius, non loquitur in renuntiatione beneficiorum pura & simplici in manibus ordinarij facta, sed in renuntiatione beneficiorum alias fieri prohibita coram ordinario.
- 6 Renuntiationis beneficiorum Ecclesiasticorum duplex est species in iure: Quaedam enim est simplex, quae fit sine conditione & pacto: Altera vero est resignatio conditionalis, quam in fauorem vocant: Illa potest fieri coram ordinario: Hac vero solum coram Papa.
- 7 Renuntians coram ordinario beneficium suum, non potest vt illa clausula in fauorem, &c. quod si aliud fiat, symoniam committi.
- 8 Sed an legatus vel ordinarius, coram quo renuntiatio fit cum praedicta clausula, possit conditionem reuocare & resignationem simpliciter admittere.
- 9 Motus proprius Pij V. supra citati intellectus.

CONSILIVM XLII.

Dominus sit mihi adiutor. Quidam clericus prima tonsura renuntiavit beneficio simplici, quod obtinebat libere in manibus ordinarij, qui eandem renuntiationem admisit alterique praedictum beneficium contulit. Nunc vero ille, qui renuntiavit, poenitentia ductus petit dictum suum beneficium, asserens, renuntiationem suam praefatum esse nullius momenti, vt pote factam extra casus permisso coram ordinario contentos in Motu proprio Pij V. Pontificis Maximi, de non admittend. resignation. per ordinarios, incipit, quanta Ecclesiae, &c. anno 1568. lato, ibi, qui aut sermo confecti, aut valeudinarii, aut corpore impediti, &c. Quia in hoc resignante nullus horum casuum contigit, & quod sibi praeterea aliud beneficium Ecclesiasticum non remansit ex quo sustineri valeret, quaeritur; An regressum iure habeat ad praedictum suum beneficium a se renuntiatum nec ne?

Et primo videtur, renuntianti huiusmodi ius fauere ex dict. Motu proprio, qui expressus videtur ad hoc: Quandoquidem in praesenti specie sumus extra casus dicti Motus proprii, in quibus permittitur ordinariis recipere resignationes beneficiorum ecclesiasticorum: In ceteris namque est prohibitum regulariter; Ergo cum ex sola voluntate et dimittentis Episcopus contra dispositionem dicti Motus proprii renuntiationem praefatam admiserit, beneficium non vacabit, etiam quoad renuntiantem, quia quando facta est resignatio in manibus non valentis illam admittere, ius remanet penes resignantem, donec resignatio recipiatur & admittatur per Papam, vel priuatur beneficio, vt tenet additio Rotae de renuntiatione in nouis numer. 11. Quinimo etiam si beneficium vacasset per praedictam resignationem, vt per Rotam primam de rerum permutat. in nouis. n. 3. loquentem in resignatione beneficii referuati Papae, in manibus ordinarij facta, non potuit Episcopus eam admittere nec id beneficium alteri prouidere, vt in d. Motu proprio Pij V.

Secundo et ex alio etiam capite infringi potest praedicta beneficii resignatio, nempe; Quod fuerit facta ab eo, qui non habebat aliud beneficium Ecclesiasticum, ex quo congruam sustentationem sibi valeret referuare, vt in d. Motu proprio.

Sed his non obstantibus, contrarium est dicendum in nostra specie, imo, quod huiusmodi renuntias nullum ius habeat ad praedictum beneficium a se renuntiatum, quia renuntiatio valida fuit nec a Motu proprio Pij V. supracitato improbat: Quod fuerit valida probatur.

Quoniam et minor beneficia, puta praebendae ac alia beneficia simplicia renuntianti possunt ac debent coram Episcopo: imo renuntiatio beneficii Ecclesiastici fieri

fieri nequit sine auctoritate Episcopi, vt in cap. nisi cum pridem, in c. admonet, in c. quod in duobus, de reuenu. Host. in sum. tit. de reuenu. at. nu. 9. vers. aut minoribus, Rota in nouis 3. de reuenu. nu. 2. Rep. in l. naturaliter. §. nihil commune, nu. 107. ff. de acquir. possess. & ceteri omnes, & haec appellatur resignatio pura & simplex. quae fit sine conditione & pacto, vt tenet Petr. Rebuff. in praxi benefic. in rubr. de pura resignat. in prin. pag. 478. vbi, quod quando pars sic resignat, ordinarius potest, cui velit, conferre, cum beneficium vacet per resignationem, vt in cap. 1. per tot. de reuenu. quinimo et si renuntiatio beneficii fieret absque Episcopi licentia, beneficium non vacaret, etiam quoad renuntiantem, donec ipsa renuntiatio per Superiorem aut per Episcopum ipsum admittatur, secundum Abb. in c. ad aures, de his, quae vt, col. penult. Card. in d. c. quod in duobus, est communis secundum Abb. in c. quod Dei timorem, de stat. reg. & secundum D. Couarr. lib. 1. var. resol. c. 5. nu. 6. Cum igitur hoc simplex beneficium renuntiatum fuerit libere coram ordinario, ipseque renuntiationem praefatam admiserit & alteri canonice contulerit, prout poterat, consequitur, renuntiantem nullum ius ad idem beneficium habere.

Quod etiam praedicta renuntiatio non sit improbat: atque contraria dicto motui proprio, & sic illa Apostolica constitutio nobis in proposito non obstat, patet, quia ipsa cum suis modificationibus non loquitur nec procedit in nostris terminis renuntiationis purae & simplicis in manibus ordinarij factae: sed in resignatione beneficiorum alias fieri prohibita coram ordinariis.

Et pro clariori huius rei intelligentia praesuppono; Duplicem esse in iure speciem resignationis beneficiorum: Quaedam enim est renuntiatio beneficii Ecclesiastici simplex, quae fit sine conditione & pacto, vt in cap. tuos, de symon. & haec est proprie libera renuntiatio, quamuis minus frequens, quam illa in fauorem, de qua statim agemus, & haec renuntiatio simplex fieri potest, quinimo & debet ad hoc, vt valeat coram ordinario, & de hac loquuti sumus supra, sicque est licita & permessa coram ordinario, ac per consequens ipse potest eam admittere, & beneficium sic renuntiatum, cui velit, idoneo conferre.

Haec enim renuntiationes in spiritualibus libere & simpliciter fieri debent, quod omnes fatentur & praemittunt, & communit in c. ex parte, el. 1. ff. de offic. deleg. & in specie Staph. in tract. de lu. gratia, & in l. si, oo. cum seq. eumque referens D. Couar. vbi supra, nu. 5. & de hac renuntiatione minime loquitur praefatus motus proprius Pij V. Quandoquidem non est dicendum in dubio id, quod ex eo non constat, velle corrigere ius commune per iura vulgaria.

Alteram est resignatio conditionalis, quam in fauore vocant, quae resignatio coram Papa tantum fieri potest, cum in ea alias versetur symonia, quam ordinarius purgare non potest, vt in d. c. ex parte, el. 1. de offic. deleg. P. An. & alii in rubr. de symon. ita distinguit Petr. Rebuff. vbi supra, & in rubr. de resignat. condit. pag. 484. Quo fit, vt praedicta clausula, nempe, in fauorem, &c. non possit quis vti renuntiatione, quae fit coram ordinario, nempe, in fauorem talis, vel, vt conferatur tali, non alteri, nec alii, nec alio modo: clausula enim haec astringit collato rem ad conferendum ei nominato per partem, & est contra naturam resignationis purae, quae a mera pende collatoris libertate: vt gl. & Dd. docet in d. c. ex parte, el. 1. & nominatim Nicol. Mis in suo reperior. in verb. renuntiatio beneficii symoniacae facta. & Rebuff. vbi supra, de resignat. cond. nu. 4. ex quibus constat, symoniam committi, si aliud fiat, quod praeterea tenet gl. in c. ex parte, & ibi Abb. num. 4. de offic. deleg. Dec. num. etiam 4. & ceteri, gl. in c. cum inter R. verb. ex consensu, vers. et nota, de elect. Host. vbi supra, 7. Felus in c. ad audientiam, el. 2. vers. ter-

tia conclusio, de rescript. Lud. Gom. in reg. de triennial. poss. quest. 16. fol. 756. in fin. & in princ. seq. Cassad. decif. 2. de symon. num. 6. & 7. & Aym. Crauet. consil. 122. nu. 12. D. Nauar. in man. Lat. c. 23. n. 107. vers. ad decimum, vbi limitat: Nam si fieret in manibus Papae secundum styllum curiae a multis seculis probatum, tamen Dominus. Sot. lib. 9. de iustit. & iur. quest. 7. art. 2. pag. 816. & D. Couar. vbi supra, num. 5. non recte meo iudicio contrarium sentiant, nempe, symoniam minime committi hoc casu: hoc namque contra receptam Doctorem sententiam est & mentem omnium, ac proinde non tenendum, praecipue hodie regulariter ex dicto motu proprio, vt infra dicemus.

Et etiam quamuis Boer. in tract. de potestat. legat. quest. 2. vol. 4. tract. divers. Dd. firmet, quod si huiusmodi resignatio, nempe cum clausula praedicta in fauorem, &c. fiat coram legato, poterit legatus vel ordinarius conditionem reuocare & resignacionem simpliciter admittere, quia illa clausula ad utilitatem vel in fauorem talis pro non adiecta habetur secundum eum: & in dubio debet interpretari, actum esse permissum, vt in l. eum actum, ff. de negot. gest. & in l. non solum, §. sed & probari, ff. de noui oper. nunt. & quia sunt, vt plurimum notarius clausula, teste Staphil. de lu. gratia, in rubr. de variis modis vaca. vers. sic, puto tamen, quam sententiam Boer. non relato sequitur Couarr. vbi supra, d. num. 5. Quinimo secundum eum Praelatus inferior nihil ageret contra iuris prohibitionem eas renuntiationes simpliciter admittens, expresse non approbans adiectionem conditionis, nec graue crimen committeret, si ea beneficia concesserit ei, pro quo facta est renuntiatio, modo dignus sit, nec praedicta collatio ex eo nulla erit, quod facta fuerit ratione conditionalis resignationis: quia ea in hunc sensum prohibetur, vt ex ea Praelatus minime teneatur praecise beneficium conferre ei, cuius fauore adiecta fuerit. Quin potius existimat ibi Couarruias ex aequitate, secluso iuris rigore, reuocasse actum Praelatum ipsum, qui eam renuntiationem admiserit simpliciter, non approbata conditione expressim nec ea repulsa, si beneficium conferat illi, pro quo facta fuerit renuntiatio, modo sit eo dignus, ne renuntians decipiatur.

Nihilominus tamen haec Boer. & Couarruias sententia aduersatur communi praecedenti, quae habet; Resignacionem conditionalem cum praedicta clausula in fauorem alterius & non alius, &c. minime locum habere coram ordinario, sed potius esse symoniacam. Quare verius contrarium in his terminis probauit Rebuff. vbi supra, de resignat. condit. num. 7. cum seq. vbi respondet ac optime satisfacit fundamentis Boer. vbi supra, contrarium tenentis: Cum enim sit vnus actus cum aliqua qualitate & adiectione, non potest recipi pars illius actus, & pars eiusdem reuici, argumento doctrinae Bart. communiter approbatae in l. Aurelius, §. idem questus, ff. de liberat. leg. quia forma est indiuidua, non voluit resignans, vt ipse exprimit, aliter nec alio modo resignare quam in fauorem illius; Reuici igitur non potest haec clausula, & resignatio pura acceptari, sed in totum debet resignatio vitari; Quandoquidem apud ordinarium ea quis vti non possit, sed tantum libera & simplici renuntiatione: hanc autem facere noluit, qui cum praedicta conditione resignauit; Ergo vtrumque vitatur, quia quod potuit, noluit, & quod voluit, adimplere nequit.

Hic etiam praehabitis motus proprius Pij V. supra in contrarium adductus loquitur in resignationibus beneficiorum coram Episcopis factis, debetque intelligi de resignationibus, quae frequentius fiunt, scilicet conditionalibus, hoc est, in fauore supra proxime dictis, vt patet, quia haec sunt prohibita fieri coram Episcopo, non